
FREDER

DE JOH. CHRYSOST.

P. F. SUHM.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

45,- 20.- 8°
(LN bis 106)

DA BOX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

ORATIO
DE EXCELLENTE
DOCTRINA ET VIRTVTE
ac vita IOHANNIS CHRYSOSTOMI, Epiſcopi Conſtantino-politani.

à

JOHANNE FREDERO

Superintendente, S. Theologiæ Doctore & profeſſore, & Collegij Theologici pro tempore Decano, in Academia Roſtochienſi, cùm Gradus Doctoris Theologiæ,

Reuerendo & doctiſſ. viro

M. BALTHASARI MASQVEDELIO illuſtriſsimæ ſereniſsimæq; Reginæ Daniæ Concionatori aulico publicè decerneretur, die XI. Septembris, An. 1595. habita: Iam verò aliquot inclyti regni Danorum Epiſcopis, luminibus Eccleſiæ Dei clariſsimis & fideliſs. d. & d.

---

1 Tim. 4.

TYPVS ESTO FIDELIVM.

Roſtochij, typis Myliandrinis, Anno 1600.
Menſe Auguſto.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

Reuerendiſsimis Dominis

D. M. IACOBO MATTHIÆ,
Epiſcopo Fionenſi & Canonico Ripenſi,

D. M. IACOBO HOLMIO
Epiſcopo Alburgenſi & Canonico Wiburgenſi,

D. M. PETRO HEGGELVNDO
Epiſcopo & Canonico Ripenſi,

D. M. IOHANNI ÆGIDIO,
Epiſcopo & Canonico Arhuſienſi,

&

Dn. GEORGIO SCHRODERO
Eccleſiæ Haderslebienſis, & vicinarum Præpoſito,

Doctrina & virtute humanitateq; clariſsimis, benefactoribus, amicis, ſymmyſtisq; ſuis tenuem hanc de fideli Epiſcopo D. IOHANNE CHRYSOSTOMO orationem, honoris, amicitiæ & gratitudinis cauſsâ officiosè

D. & D.

Iohannes Frederus.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
B.R.H.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

ORATIO DE IOHANNE CHRYSOSTOMO &c.

CVm inſtet dies, quo clariſsimum Eccleſiæ Doctorem, Iohannem Chryſoſtomum, ante 1188 annos, poſtridie Idus Septembris, rebus humanis exemtum fuiſſe annotatum eſt; & vſitata Scholæ conſuetudo, vel de parte aliqua doctrinæ, & artium aut virtutum dignitate aliquid dicere, vel hiſtorias clarorum virorum, quæ et ipſæ multa iuuentutem de ſtudijs et moribus ſalutaria monent, recitare permittat: Chryſoſtomi epiſcopi vitam, ſtudia, & docendæ ac gubernandæ Eccleſiæ,

 labo-

labores & pericula, hoc loco recenſere potiſsimum viſum eſt: Quem ingenio, pietate ac eloquentia præſtantem, inter cæteros Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores eximiq; ſyderis inſtar eluxiſſe, & memoriam ſui in benedictione, & laudem in eccleſia ſanctorum illuſtrem, reliquiſse ad omnem poſteritatem, videmus.

Eſt autem pietatis & gratitudinis Deo debitæ pars non poſtrema, eorum virorum memoriam grata mente ac voce conſeruare, quorum ſalutari & inſigni opera, Deus in veræ doctrinæ a ſe traditæ propagatione, in Eccleſia vſus eſt. Ideo enim Deus Heroicos aliquot Doctores & gubernatores, excellenti doctri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

doctrina & virtute & multis gentibus ſalutari inſtruit & ornat, eamq́ agnoſci à cæteris & celebrari præcipit: vt Deum autorem donorum, quæ in eis fulſerunt, alij agnoſcant, & exemplis ad pietatem & decus excitentur: & Dei ſapientiam, bonitatem & præſentiam in gubernatione Eccleſiæ, & donis magnorum virorum, quæ ſunt ſapientiæ & virtutis Diuinæ radij, intuentes, Deum laudent ac celebrent, vt præcipit Pſalmus: Laudate Dominum in ſanctis eius: & piè ac ſapienter ſcripſit quidam: Hos ego cum laudo, laus ea tota Dei eſt. Optârim autem tantum virum, & tanta DEI dona in eo lucentia, rudi & inculta oratione

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

mea non deformari, ſed magnitudini rerum reſpondente laudatione ornari poſſe. Sed cùm Deus infantium etiam & lactentium voce laudes ſuas perfici teſtetur: et nunc officij ratio, & Academiæ conſuetudo, dicendi neceſſitatem mihi imponat: non excuſabo meam prolixè imperitiam vel infantiam, ſed obedientiæ & officij DEO & legibus Academiæ debiti maiorem, *quàm* ingenij & eloquentiæ laudem eſſe ſtatuens, argumentum propoſitum, vt potero, tractabo. *Filium Dei Dn. N. J. C. ſummum Theologiæ Doctorem ac epiſcopum eccleſiæ ardentibus votis precor, vt pura doctrinæ ſuæ voce ſemper æternam eccleſiam, ſibi in*

his

*his regionibus, per miniſtros ido-
neos ac ſalutares, colligat; & Do-
ctores fideles ipſe excitet, & reue-
rendum & clariſſimum Dn. Do-
ctorandum & nos ſingulos, doceat,
gubernet & adiuuet, vt vera &
ſalutaria nobis & alijs diſcamus et
doceamus, & Dei gloriam illuſtre-
mus: A vobis etiam viri clariſſi-
mi, magnificentia, dignitate, pru-
dentia, eruditione virtute & no-
bilitate ſtudijsq́ doctrinarum or-
natiſſimi adoleſcentes officiosè &
amanter peto, vt de eloquentiſſimi
Doctoris Chryſoſtomi vita me bal-
butientem potius, quàm dicentem
candidè & benigne audiatis.*

*Natus eſt Johannes Chryſoſto-
mus, Antiochiæ Syriæ metropoli.*

loco nobili, et celebri quondam, vrbe copioſa, atq; eruditiſsimis hominibus, liberaliſsimisq; ſtudijs affluenti, quam totius Orientis apicem Marcellinus nominat; &, in qua, diſcipuli Apoſtolorum doctrinam de Chriſto amplectentes Chriſtiani primum appellati ſunt. Parentes, tum generis ſplendore, tum vera pietate & virtute nobiles, fuerunt, Secundus & Anthuſa, qui, filium eximia ad virtutem & literas indole præditum, & naturâ ad facundiam & profluentem orationis copiam factum, in ſcholis Rhetorum, ac Philoſophorum erudiri, excoli, & ad Rempublicam præparari voluerunt. Florebat, ea ætate illuſtri ſapientiæ ac eloquentiæ &

Atti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

Atticæ inprimis elegantiæ gloria LIBANIVS *Antiochenus. apud quem, condiſcipulos Chryſoſtomus adoleſcens habuit, Euagrium poſtea epiſcopũ Antiochenum; Theodorum Mopſueſtienſem in Cilicia; Maximum Seleuciæ, Iſauriæ; Et paulò ante Chryſoſtomum, eidem Libanio operam dederant, Baſilius omnium ſcriptorum Eccleſiaſticorum eloquentiſſimus: & Gregorius Nazianzenus, qui in eccleſiæ Byzantinæ gubernatione Chryſoſtomum præcedens, orthodoxam in ea vrbe Eccleſiam, Arianorum furoribus ſub Conſtantio, Iuliano & Valente ferè deletam, inſtaurauit. Libanij eloquentiam multis inſignibus elogijs Baſilius in*

 epiſto-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

epiſtolis celebrat. ἔμπνουν γὰρ λόγον ἐπὶ χθονὸς Λιβάνιος ἔγραψεν, ὁ μόνος τοῖς λόγοις ψυχὴν ἐδωρήσατο ſpiritu et vita animatam orationem ſolus in terris Libainius ſcripſit, qui ſolus animã orationi à ſe formatæ donauit. A tali ergo præceptore in ſtudijs eloquẽtiæ formatus ac expolitus Chryſoſtomus, accedente ad naturam eximiã atq; illuſtrẽ doctrinæ cœleſtis, ac Philoſophiæ uniuerſæ ſcientiã, & uſu dicendi ac exercitatione aſsidua confirmatus, non immeritò à poſteritate Chryſoſtomi cognomen accepit, quod ſoli alioquin, inter omnes eruditos, Dioni Sophiſtæ, elegantiſsimis, & argutiſsimè elaboratis orationibus, quæ adhuc extant, Traiani ætate claro, contigit.

tigit. Chryſoſtomus autem velut per gradus, in Eccleſia Antiochena progreſſus, primùm lector Eccleſiaſticus, deinde Diaconus à Meletio epiſcopo, poſtea presbyter ab Euagrio ordinatus eſt. Inprimis autem Flauiano epiſcopo familiaris, & comes celebratæ illius Legationis pro totius ciuitatis Antiochenæ ſalute ad Imperatorem Theodoſium ſuſceptæ fuit. Cùm enim irritata, magiſtratuum Cæſareorum in tributis exigendis acerbitate, multitudo Antiochena, ſeditione atroci commota, non tantum magiſtratus Cæſareos trucidaſſet, verùm etiam Imperatricem laudatiſſimam, Placillam recens defunctam contumelia affeciſſet,

euer-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

euerſis ſtatuis, in illius honorem
paßim in ea vrbe erectis: cumq́;
Imperator grauißimas indignatio-
num flammas aduerſus ciuitatem
concipiens, totam euerſurum ſe mi-
naretur: Flauianus epiſcopus, pa-
terna fide & cura de ſalute ciuita-
tis ſollicitus cum delecto ex omni-
bus ordinibus comitatu, ſupplex
apud Theodoſium pro ciuibus ſuis
factus eſt; inter cætera dicens.
Non oportere imperatorem pro-
pter violatam mortuæ coniugis
imaginem, tot viuas Dei imagines
trucidare, ac reconciliata Cæſari
ciuitate, cum domum redijſſet, per
Chryſoſtomum acta in legatione
publicè coram Eccleſia exponi iu-
bet. ac orationes in eo negocio cir-

citer

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

citer decem, antè & pòſt legationem ad populum Antiochenum, habitæ adhuc inter Chryſoſtomi Homilias extant.

Hac tanta celebritate famæ cùm paßim in Oriente nomẽ Chryſoſtomi innotuiſſet: accidit, vt Necario, Conſtantinopoleos epiſcopo defuncto, ſucceſſor autoritate, doctrina, & eloquentia, excellens, quæreretur. Omnium igitur ordinum, nobilium, Cleri, & populi ſuffragijs, Chryſoſtomus ab Arcadio accitus, & à Theophilo Alexandrino ordinatus eſt, cùm quidem cura eccleſiarum, non in vrbe Conſtantinopoli ſolum, ſed totius etiam Thraciæ, Aſiæ, & Ponti inſpectio ipſi commendaretur.

Tan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

Tanto muneri cum præeſſet, ſingulari diligentia, fide, conſtantia & ſedulitate ſpartam ſuam ornare ſtudebat, & functionem ſibi commiſſam exequebatur. Fideliter & perſpicuè veram & ſalutarem doctrinam, ac veram agnitionem ac inuocationem DEI, ad pœnitentiam, & fidem, & pietatem veram, & conſolationem in animis alendam, & mores piè regendos vtilem, omiſsis diſputationibus argutis & curioſis, quæ prophanas quæſtiones pariunt magis quàm fidem & dilectionem in Christo Ieſu (vt Paulus loquitur) aſsiduè populo proponebat: qui & rerum bonitate, & eloquentiæ illius illecebris captus ſtudioſiſsimè docentem audie-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

audiebat, ac ex ore illius, doctrina & conſilijs totus pendebat.

Itaq; non in ſubtilibus & curioſis dogmatum diſputationibus & controuerſijs argutè diſceptandis, in quibus οἱ λόγοι καταπαλαίουσι λόγους & mutuis ſe acuminibus compungunt, ſed in materijs moralibus ferè, vtilibus ad vitam & mores piè & ſanctè regendos, Chryſoſtomi Homiliæ verſantur, dum de precatione & Gratiarumactione Deo præſtanda de vera Humilitate & patientia, & quia humilitas antecedit gloriam, quanto quis officij cauſa acerbiora paſſus fuerit, tanto magis gloria eius excreſcit, de candore & Dilectione ac Eleemoſynis proximo tribuendis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

dis de pia concordia bonis omnibus præferenda, & manſuetudine, de temperantia & ieiunio, de fugienda luxuria, ambitione, ira, invidia, obtrectatione, calumnia, & ſimilibus vitæ humanæ & virtutis peſtibus excindendis aſsiduè præcipit, & hac populari, & ad vulgi captum accommodata docendi ratione vtilius auditorum pietati & virtuti alendæ conſulit, quàm ſi Dionyſij Areopagitæ, vulgò dicti, τερατολογίας καὶ θαύματα ῥημάτων *Thomam & Scotum ipſum ſubtilitate quæſtionum & diſputationum acuminibus ſuperare ſtuduiſſet. Etſi autem rarò dogmatum controverſias attingit & moralibus illis materijs, in docendo vt*

pluri-

plurimum occupatur: tamen de a-
liquot fidei articulis & multis no-
ſtrorum temporum controuersijs,
Teſtimonia illuſtria & cum no-
ſtris ecclesijs conſentientia paßim
recitat. quæ ex ipſius homilijs ex-
cerpi prodeſſet. Symbolum Ni-
cenum de vno vero Deo & ſerua-
tore noſtro I. C. repetitum anno
17 ante ipſius Epiſcopatum in Sy-
nodo Conſtantinopolitana, ſimpli-
ci & indubitata fide amplexus
eſt, & ſummam in Homilia de
fide in Chriſto breviter recenſet,
Deum non eſſe cauſam peccati &
damnationis humanæ ſed volun-
tatem Diaboli & hominum, con-
ſtanter vbiq; profitetur, etiamſi o-
mnia quæ opponuntur de divina

 deter-

determinatione, permiſsione, & ſuſtentatione naturæ peccantis prorſus extricari, vt omnibus contentioſis ſatis fiat, nequeunt. Libertatem igitur humanæ voluntatis à coactione & neceſsitate omnium actionum Stoica & Manichea vbiq; defendit: & Gratiæ donum, non tollere libertatem, ſed ſanare & adiuuare demonſtrat. De confeſsione peccatorum, non coram hominibus, ſed coram Deo facienda in Pſalmum Miſerere, & ad Ebræos 12 concionatur, Peccata tua dicito, vt deleas illa. Non dico, vt confitearis conſeruo tuo, vt exprobret. Dicito Deo, qui ſanat ea. Nam ſub proximo Chryſoſtomi anteceſſore, epiſcopo

Necta-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

Nectario, Conſtantinopoli pri-
uata confeſsio, graui de cauſa in-
termitti cœperat.

De cœna Domini paſsim concio-
natur: Homilia 30 de proditione
Iudæ, Tomo v) Nūc ille præſto eſt
Chriſtus, qui illam ornavit men-
ſam, ipſe iſtam quoq; conſecrat:
Non enim homo eſt, qui propoſi-
ta in menſa Domini corpus facit,
& ſangvinem ſed ille qui crucifi-
xus pro nobis eſt Chriſtus. Sa-
cerdotis ore verba proferuntur, &
DEI virtute conſecrantur, &
gratia. Hoc eſt, ait, corpus me-
um, hoc verbo propoſita conſe-
crantur: Et ſicut illa vox quæ di-
cit: Creſcite & multiplicamini &
replete terram, ſemel quidem di-

 cta eſt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

cta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum ad generationẽ operante natura: ita & vox illa ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas eccleſiæ usq; ad hodiernum diem & usq; ad eius adventum præſtat ſacrificio firmitatem: In omnibus itaq; Deo pareamus neq; contradicamus: licet cogitationibus noſtris adverſari videatur & oculis, quod dicitur; ſed ſit & cogitationibus & viſu dignior ipſius ſermo: & in myſterijs agamus. Nec ſolum præ oculis poſita reſpiciamus, ſed ipſius verba contineamus. Ipſius enim ſermo infallibilis, ſenſus autem noſter ſeduci facilis. Ille nunquam decidit, hic autem vt plurimum errat: Quoniam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

niam igitur verbum dicit: Hoc eſt corpus meum & pareamus & credamus, & intellectualibus ipſum oculis intueamur.

Ac ex Chryſoſtomo, nullas eius ætate priuatas miſsas, ſed vnam communem cœnam ſeu Synaxin fuiſſe, ſatis conſtat ac plura de hoc articulo teſtimonia à pluribus collecta extant.

De adoratione Chriſti ſecundum carnem in Epiſtola ad Ebreos: Reuera magnum & admirabile & ſtupore plenum eſt, carnem noſtram ſurſum ſedere & adorari ab angelis & Cherubin ac Seraphin, quæ ſæpius mente verſans ἔκστασιν patior, & magna de genere humano cogito, ſed hæc & ſimilia,

de controuerſijs noſtri temporis
dicta, ex operum Chryſoſtomi le-
ctione attẽta aliquando excerpere,
et ad cõvenientes doctrinæ Theolo-
gicæ locos referre poterimus. Omiſ-
ſa igitur hac teſtimoniorũ doctrinæ
collectione, ad cæteras partes officij
epiſcopi à Chryſoſtomo fideliter ad-
miniſtrati accedo. Non enim do-
ctrinam ſolùm placidè & ſedulò
auditoribus tradidit, verùm et-
iam peccata & mores vitioſos in
Clero, aula & populo, in omnibus
hominum ordinibus grauiter ac ſe-
uerè absq; proſopolepſia taxauit,
& clerum inprimis ad morum gra-
vitatem & vitam ſacerdotio di-
gnam, & canonibus eccleſiaſticis
convenientem adhortatus eſt, de-
linquen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

linquentes adverſus canonas ſeverè correxit. Quæ res primùm ei odium multorum in Clero conciliavit: qui adverſus epiſcopum cõſpirantes, aſperitatem illius nimiam & ſuperbiam ac faſtum, paſſim ad populum traducebant. Sæpè enim accidit, quod de Jeremia Propheta quidam ſcripſit, eum tot hoſtes habuiſſe, quot auditores: tot viperas, quot collegas. Felicior autem Chryſoſtomi conditio fuit, quem auditores propter pietatis doctrinam ac eloquentiam diligebant, Clerici verò collegæ, id quoq; in eo calumniabantur, quòd valetudinis causa, invitatus ad aliorum conuiuia nunquam accederet, & ipſe domi ferè ſolus cibum ſu-

mere ſoleret. Sed Epiſcopus, ἐμμελὴς τῶν πρακτέων, ἀμελὴς δὲ τῶν περὶ αὐτοῦ λογοποιουμένων, intentus in ea quæ erant agenda, & Cleri de ſe fabellas in vulgum ſparſas, negligens, magno, ac excelſo animo mandata officij ſui munera, in docendo, arguendo, corrigendo ac inſtituendo in iuſtitia vrgebat: donec ex proceribus quosdam ſolita linguæ libertate obiurgans, maiorem adverſus ſe inuidiam accendit. Summam tunc potentiam in aula Byzantina tenebat Eutropius eunuchus, qui Arcadium totum Gorgonis inſtar poßidebat, vendens magiſtratus ac ſententias ac dans & eripiens provincias, quibus volebat: qvalis apud

Tibe-

Tiberium Seianus, apud Seuerum Plautianus fuerat. Hic Eutropius, cum Palatij Cæſarei præfectus, ac eo anno conſul eſſet, cupiens in quosdam, qui ad Eccleſiam confugerant, animaduertere, legem ab Impp. ferri curauit, vt liceret ſontes ex templo vi ad ſupplicium abducere, cum antea pœnæ differentur. Hoc priuilegium templo auferri ægre ferens, cum paulò poſt Eutropius ipſe offenſo imperatore, ad ſummum altare Eccleſiæ ſuæ confugiſſet: toti concioni eum, velut exemplum vanitatis & inconſtantiæ rerum humanarum, ſatis acerbè miſero inſultans vt ἐπιχαίρε κακῶν *videri poſſet, proponit, ac Eutro-*

 pio

pio, tum quidem, iuxta ipſius legem, ex templo extracto, iuſſu imperatoris caput præciſum, & nomen eius ex conſulum ordine penitus eraſum eſt, ſicut biennio antè, Ruffinus, ſummus exercituum dux & Arcadij tutor, in ipſo conatu affectati imperij interfectus erat. Quos ambos ſempiternæ poſterorum infami memoriæ Claudianus tradidit: cum dubitantem ſe de providentia, ob felices ſceleratorum Ducum ſucceſſus, tandem vtriusq; ſupplicio, piam aſſenſionem de providentia rurſum in ſuo pectore confirmatam fuiſſe memorat. Non iam ad culmina rerum Iniuſtos creuiſſe queror: tolluntur in altum. Vt

lapſu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

lapſu graviore ruant. His tertium Gainæ ducis Gottici & ſummi militum magiſtri exemplum addo. Is cum Arianus eſſet, Templum ſuæ religionis exercitio intra vrbem Conſtantinopolin ab Imperatore attribui petebat. Epiſcopus, re ad ipſum delata: Noli (inquit) ò imperator, hæc promittere, neque ſanctum canibus dare. Non enim potero Deum piè glorificantes expellere, & templum ſanctum blaſphemantibus Deum impiè tradere. poſtea præſente Arcadio, Gainæ potentiſsimi Ducis Barbari impudentiam, ita retudit, vt ſponte ab hac petitione tum deſiſteret. Sed poſtea ſeditionem adverſus imperatorem alia de cauſa mo-

uens.

uens, cum noctu ſubmiſsis militibus incēdere Palatium Imperatoris, in quo nulla eſſe militum præſidia ſciebat, conatus eſſet, Angeli Gigantum ſpecie armati, milites depulerunt. Inde Thraciam direptionibus & incendijs pervagatus, cùm miſſo ad eum epiſcopo legato non flecteretur, tandem profligato exercitu cum euaſiſſet, in fuga interfectus eſt. Ab his igitur hoſtibus, quantumvis potentibus, periculum capitis Chryſoſtomo nullum adhuc extitit, donec Eudoxiam imperatricem graviſsimè offendit: Quæ, per epiſcopos aliquot, & proceres aulicos, arte tandem eò rem deducit, vt Synodo convocata Chryſoſtomus

excuſſus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

excuſſus epiſcopi dignitate, in exilium pelleretur. Magna eo tempore inter epiſcopos præcipuos, de libris Origenis diſſenſio erat. Quos Theophilus Alexandrinus ac Epiphanius Cypri epiſcopus condemnari volebant: quibus aſſentiri Chriſoſtomus, ante catholicam cauſæ cognitionem, cunctabatur, & minas Theophili, aliorumq́; inimicorum ſuorum, machinationes, excelſo animo, ex ſublimi deſpicere ac contemnere ſe oſtendebat donec Epiphanius ipſe, à Theophilo incitatus, Conſtantinopolin acceſſit & damnationem librorum Origenis ſubſcribi fruſtra vrſit. Chryſoſtomus, ab Eudoxia, Epiphanium, aliosq́; adverſus ſe inci-

tari

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

tari intelligens, Hipponacteam, malæ mulieris vituperationem, die decollationis Iohannis Baptiſtæ inſtituit, qua die decollationis occaſio acriora in Herodis ſimiles etiam dicendi presbiteris datur, vt epigramma eruditum & ingenioſum oſtendit.

Coram Herode Herodiadis dum filia ſaltat,
Dum cui debuerat diſplicuiſſ,eplacet
Ebrius affectu Rex coniugis, ebrius illo
Fortunæ luxu, prætereaque mero.
Optet, ait, virgo; dabitur, iuravimus huius
Dimidium regni poſcere ſi libeat.
Impia ſuggeſtu ſceleratæ filia matris
Inquit, Baptiſtæ da precor ergo caput.
Rex dolet & triſtis concedit, nempe coactus
Iuriſiurandi relligione ſui.
O Regem fidum, ſed tunc tantummodò fidum
Maius perfidia eſt cum ſcelus ipſa fides
Ora viri fœdo ſancti fluitantia tabo
Decuſſumq; gerit regia menſa caput.
Talia regales ornant bellaria menſas
Crede mihi, non eſt pauperis iſte cibus.

Quem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

Quemadmodum autem laudatio bonæ & honeſtæ fœminæ inſtitui poteſt vt dicas, O BONVM, OMNI BONO MELIVS VXOR BONA: &c. Sic vituperatio malæ mulieris à Chryſoſtomo inſtituta eſt his verbis: Quis mulierum illarum (Herodiadis, Iezabelis, Dalilæ) crudelem malitiam enarret? ò MALVM OMNI MALO PEIVS, MVLIER MALA. Hæc ſi potentis alicuius vxor ſit, non ceſſat die ac nocte virum ſuum callidis ſtimulare ſermonibus, blanda nequiter, & importuna violenter, donec mentem eius extrudat, vt ſimilem ſibi faciat maritum, improbis male ſuadet conſilijs, ſicut Herodias fecit Herodi.

Hanc aſperam obiurgationem

adver-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

adverſus ſe potiſsimum directam, Eudoxia vniverſo etiam populo iudice, intelligens & ardenti vindictæ cupiditate inflammata aliquot epiſcopos & proceres inſtigat, vt Chryſoſtomum, alij de alijs criminibus accuſent. Theophilus igitur Alexandrinus Synodo Chalcedonem convocata Chryſoſtomum citat. Hic, per procuratorem, illud inimicorum ſuorum conuenticulum adire recuſat, & generale concilium, non ſuſpectum, inſtitui petit. Cum autem quater citatus non comparuiſſet, velut inobediens et contumax damnatus eſt. ac ne vlla propter ipſum ſeditio moueretur, ſpōte ſe, ignorante populo, imperatoris

mini-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

miniſtris decretum Synodi executuris, tradidit, & ad Hieron Ponti oſtium, velut in exilium ductus eſt. Orta autem ingenti ſeditione & ad ipſum Palatium populo clamante, & epiſcopum ſuum repoſcente, principes petitioni vulgi, tantopere commoti, cedentes eunuchum mittunt, qui epiſcopum in civitatem redire, & ſuo officio, vt antea, fungi iubeat. Rurſus igitur aliquantiſper in eccleſia docet Chryſoſtomus & epiſcopos ac paſtores ordinat. Accidit autem paulò pòſt, vt Eudoxiæ Imperatrici ſtatua argentea, non procul à templo Sophiæ, in columna porphyretica collocaretur, apud quam hiſtriones & Mimi comædias cre-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

bras & alia ſpectacula exhibebant. Hanc ſtatuam & ludos præſertim templo vicinos, ſeverè epiſcopus taxabat & non præmiſſo antea privatim ſupplice ad Principes libello, ſtatim liberrimo eloquentiæ impetu talia iubentes fieri, aſperrimè obiurgat: cumq; non tollerentur ludi, & Eudoxiam denuo adverſus ſe grauiùs in flammatam eſſe ſentiret, concionem ab his verbis inchoat: Jam iterum Herodias inſanit, iterum turbas ciet, iterum ſaltat, iterum Iohannis caput in diſco petit.

Paulò pòſt denuo ab epiſcopis ipſi inimicis deponitur, & iuſſu imperatoris, qui ſe communicare illi, à duobus concilijs damnato, amplius

plius

plius nonpoſſe oſtendebat, ad extremos Imperij Romani & Armeniæ fines relegatur: vbi altero exilij anno, Chriſti 412, die 14 Septembris, ex hac vita, in cœleſtem eccleſiam evocatus eſt: anno 20 poſt Gregorium Nazianzenum: nono poſt Ambroſium episcopum Mediolanenſem: decimo poſt Martinum epiſcopum Turonenſem, octauo ante Hieronymum, viceſimo ante Auguſtinum, ex his terris ſublatum. Nam hæc lumina eccleſiæ Dei præcipua, exiguis & brevibus intervallis ſe mutuò ſecuta ſunt.

Agamus autem Deo æterno cuſtodi & conſervatori eccleſiæ ſuæ, toto pectore gratias, quòd lucem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

veræ de ſe doctrinæ & Doctores ac
gubernatores Eccleſiæ ſalutares o-
mnibus temporibus excitavit, ac
rexit, eumq́ ardentibus votis pre-
cemur, vt deinceps etiam in hac
mundi ſenecta, idoneos ac fideles
miniſtros & operarios in meſſem
ſuam mittat: & miniſterio reve-
rendi clarißimiq́ Domini Docto-
randi benedicat: vt ipſi trino &
vni Deo gratum, & multis homi-
nibus ſalutare ſit, & idem Deus
max: opt: ſanctiß. nos omnes & ſin-
gulos doceat, ſeruet, ac gubernet.

DIXI.

Iam reſtat id, cuius nomine po-
tißimum hic publicus & ſolennis
actus inſtitutus eſt, vt reverendo
docti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

doctiſsimoq́ Domino Candidato conferamus publicum doctrinæ teſtimonium, quod à collegio noſtro reuerenter, idq́ clementiſsima & optima voluntate & iuſſu inclytæ ſereniſsimæq́ Danorum Reginæ, illuſtriſsimi celſiſsimiq́ principis & Domini, Domini VLRICI, principis Megapolitanorum, patris patriæ, Domini noſtri clementiſsimi, (quem meriti honoris debitæq́ ſubiectionis causâ toties nominamus) filiæ vnicæ & vnicè cariſsimæ, quæ in munere Eccleſiaſtico huius noſtri ſymmiſtæ fideli & felici opera præclare vtitur eoq́ minus officio noſtro deeſſe ei voluimus vel debuimus, maximè etiam cum non ſolùm iam antè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

nobis toto eo tempore, quo nobiſ-
cum in hac Academia aliquot
annos familiariter vixit, pietatem
& mores ipſius temperantes, caſtos,
& ſuaues perſpexerimus & ad a-
morem virtutis honeſtatisq́;, &
ad moderationem ac grauitatem
morum à natura eum ipsâ duci,
atq; doctrina & aſſuefactione
naturam bonam excoluiſſe, & di-
lectionem ac ſtudium veri timoris
Dei, veræ fidei & modeſtiæ, reli-
quarumq́; virtutum generi vitæ,
cui conſecratus eſſet, conuenientiſſi-
marũ, in ſuo pectore confirmaſſe, ſed
etiam ex eiuſdem proximè elapſis
hebdomadibus hic viuentis fami-
liaribus ſerijsq́; colloquijs de re-
bus Theologicis & Diuinis in pri-

uato

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

uato examine & publica diſputatione eius eruditionem ita explorauerimus, vt dignum honorifico hoc collegij noſtri teſtimonio iudicemus. Primum autem vſitatam promiſſionem de tuenda puritate doctrinæ & ſtudio morum integritatis ac modeſtiæ præſtabit Candidatus, iuxta formam, quam publicus Academiæ miniſter recitabit.

FORMA IVRAMENTI,

Reuerendus & Clariſſimus D. Doctorandus promittat Deo & huic Academiæ, quòd velit ſinceram doctrinam Eccleſiæ DEI comprehenſam in monumentis Propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum fideliter, benedi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

cente & gubernante DEO profiteri & cuſtodire, Et Confeßionem Auguſtæ exhibitam Imperatori Carolo quinto Anno Domini 1530, & in libro Concordiæ repetitam: atq; conſenſum Eccleſiæ rectè ſentientis & docentis tueri, & omnes corruptelas pugnantes cum Verbo DEI auerſari & vitare, Commoda Academiæ & Eccleſiæ Roſtochianæ pro virili iuuare, & promouere, & in tota vita, quantum Deus iuuerit, cauere omnia ſcandala, quæ nomen Domini & dignitatem Miniſterij verbi diuini, & hunc gradum deformant.

PRÆSENTATIO.

Reue-

Reuerende & clariſsime Dne. Doctor Luca, Vicecancellarie & Collega colende. Ad Academias in primis apoſtoli præceptum pertinet: BONVM DEPOSITVM CVSTODI PER SPIRITVM SANCTVM Atq; iccirco in Scholis propagatio doctrinæ propheticæ & apoſtolicæ ſancita eſt, & ordinati ſunt gradus, et Epiſcopi præditi autoritate, Academiarum cancellarij καὶ ἀρμοσταὶ conſtituti ſunt: vt cæleſtis doctrina aliæq; artes ritè conſeruentur, & hoc ſanctiſsimum nobileq; depoſitum ad poſteritatem verum & ſincerum transferatur. Hoc conſilio ante annos centum octoginta vnum, tempore Conſtanti-

enſis Concilij, conſentiente Sigismundo imperatore, inclytæ huius Academiæ Cancellarius præfectus eſt, EPISCOPVS Eccleſiæ Suerinēſis, e qua notitia Chriſti ante quingētos annos latè in Daniā, in Pomeraniam, in has aliasq́ vicinas regiones ſparſa & propagata eſt. quæ iam in Ecclesijs noſtris puriſsima & clariſsima fulget Dei beneficio, quod ingens eſt imò maximum & gratis mentibus & gratis vocibus agnoſcendum & prædicandum.

Cum autem hoc tempore reuerendiſsimi Domini, Domini Epiſcopi Suerinenſis Academiæ noſtræ Cancellarij debito cum honore ſæpius nominandi, principis

noſtri

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

noſtri illuſtriß. & Domini Clementißimi iuſſu munus Cancellarij tibi impoſitum ſit, præſentem Candidatum genibus coram Deo & ſummo ſuoq; in terris magiſtratu inſidentem, cuius doctrinam & mores antè commendaui, commendo tibi denuò, quem ſcis promiſiſſe fidem & diligentiam. Atq; etiã atq; etiam peto, vt vſitato in Academijs more poteſtatem & licentiam accipiendi gradum & inſignia doctorum Theologiæ ipſi concedas, & vnà nobiſcum votis ardẽtibus preceris, vt omnia ad gloriam Dei & ſalutem hominum dirigantur.

PROMOTIO

Quod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

Quod igitur felix fauſtumq́; ſit. Eccleſiæ Dei, Ego Johannes Frederus ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor, autoritate publica, qua in præſentia fungor, te M. BALTHASAREM MASQVEDELIVM in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti, communi noſtræ Eccleſiæ & collegij Theologici ſententia creo, promoueo & pronuncio, Doctorem Theologiæ, quæ in Euangelio Dei propoſita eſt, et quam in Eccleſia ſua DOMInus noſter JESVS CHRISTVS fideliter conſeruari propagariq́; vult: & oro Deum trinum & vnum, vt mentē, ſtudia, conſilia regit tuas & conciones ſuo Spiritu Sancto,

&

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

& adſit tibi, vt officium tuum ſit ſalutare & Eccleſiæ Dei fructum producas copioſum.

RITVS PROMOTIONI ADDITI.

Vſitati autem ſunt aliqui ritus in hac teſtimoniorũ renunciatione publica, quos ſapienti antiquitatis conſilio inſtitutos etiam adhibebo vt tibi tribuantur omnia ornamenta & priuilegia gradui Doctorum adiuncta.

CATHEDRA.

Primùm te reuerende & clariſsime Domine Doctor BALTHASAR MASQVEDELI in hanc ſuperiorem Ca-

thedram

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

thedram vocãs admoneo te de vocatione, non inuadendum eſſe ſine vocatione munus docendi in Eccleſia & te cum iam præclaro munere Eccleſiaſtico apud inclytam & optimam Reginam D. SOPHIAM ſereniſsimi DANIÆ Norvvegiæ, Vandalorum & Gothorum Regis, Ducis Sleswici, Holſatiæ, Stormariæ, & Dithmarſiæ: Comitis in Oldenburg & Delmenhorſt, laudatiſsimæ celſiſsimæq́ memoriæ, viduam ταμεῖον ἀρετῆς fungaris, fideliſsimè debere te ei inſeruire. Quod ſi facies, vt es antè pollicitus, Deus tua aucturus eſt dona euentusq́ recturus, ſicut in parabola de ÿs, qui fideliter negociantur, dictum eſt: Habenti dabitur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

dabitur: Et Paulus inquit: Qui honeſtè ſeruiunt, gradum ſibi honeſtum acquirunt & magnam fiduciam, quæ eſt in CHRISTO IESV. Magna conſolatio eſt, certum legitimæ vocationis teſtimonium habere, & membrum eſſe veræ Dei Eccleſiæ fidelibus, & pijs, eruditis, & ſincera beneuolentia inter ſe coniunctis Doctoribus Euangelij claræ & florentis, quemadmodum Dauid: Lætatus ſum (inquit) in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus: Quia illic ſedent ſedes in iudicio, Cathedræ domus Dauid. Rogate, quæ ad pacẽ ſunt Ieruſalẽ, proſperẽtur diligẽtes te, ſit pax intra muros tuos, & beatitudo in palatijs tuis

LIBER

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

Deinde quia ſummus & precioſiſsimus in terris theſaurus & lumen vitæ præcipuum eſt hic liber ſacroſanctorum bibliorum, continens Doctrinam de vero Deo, & redemtore noſtro IESV CHISTO immediatè ab ipſo Deo per filium in ſcriptis Prophetarum & apoſtolorum traditam: qua ipſe ſua voce nobiſcum loquitur, & humano generi arcanam voluntatem ſuam de reconciliatione & æterna hominum ſalute manifeſtat, quæ immediatè ſeruit fini ad quem homo conditus eſt: quæ omnibus cæteris artibus & doctrinis velut mini-

miniſtris vtitur, cui cuſtodiendæ, & conſeruandæ imperia, regna, Eccleſiæ & Scholæ potiſsimùm ſeruiunt, quæ deniq; notitiam Dei ac invocationem veram, & normam regendæ vitæ certam & firmam conſolationem in omnibus ærumnis, & præſidia vitæ præſentis & fontem æternæ ſalutis monſtrat. Hunc igitur librum tibi trado & aperio: vt præcipua deinceps etiam cura & labor deſideriumq; tuum ſit cœleſtium oraculorum diſcendorum & ad vſum transferendorum ſtudium & diligentia, & religionis cultusq; Diuini ſcientia de die in diem maior & vberior. Tanta enim (vt verbis Auguſtini vtar) eſt Chri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

ſtianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia vſq; ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere: in quibus latet altitudo ſapientiæ, vt annoſiſsimis, acutiſsimis, flagrantiſsimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem ſcriptura quodam loco habet; Quum conſummauerit homo, tunc incipit. Aſsidua igitur lectio & meditatio huius libri nobis eſſe debet commendatiſsima & præcipuũ eſt officiũ, quòd nobis incũbit: vt ſimus cuſtodes huius libri ſacroſancti & verarum eiuſdem explicationũ: nec licet nobis, vt in alijs artibus, ingeniorum acumine,

dogmata

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

dogmata excogitare, ſed hanc ſin-
ceram illibatamq́; doctrinam, quæ
in libris, quos per Prophetas & a-
poſtolos Deus Eccleſiæ tradidit,
ſemper & perpetuò nos amplecti
ac propagare neceſſe eſt. Man-
data enim manifeſta ſunt: Ab
infantia ſacras literas noueris.
Attende lectioni & doctrinæ. Ad
legem & ad teſtimonium: Quod
ſi non dixerint iuxta verbum hoc,
non erit eis matutina lux: Econ-
trâ verò eſt promiſſio addita, in
eo cœtu verè Eccleſiam DEI eſſe,
vbi hæc doctrina ſonat, nec alibi
eſſe, vt Chriſtus, Si quis diligit (in-
quit) me, ſermonem meum ſerua-
bit, & pater meus diliget eum,
& veniemus ad eum & manſio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

nem apud eum faciemus. Ideo ſemper, vt monui, nobis in conſpectu ſit hic codex, & ſit norma doctrinæ, conſiliorum, & vniuerſæ gubernationis vitæ noſtræ.

Claudo etiam hunc librum, quemadmodum Seruator noſter in patria docens Clauſum librum miniſtro reddit: vt commonefias, hunc librum & doctrinam in eo comprehenſam non in his duntaxat pagellis legi, ſed etiam intimis tui cordis penetralibus tenaciſsimè firmiſsimeq́; concludi Diuinoq́; Spiritu obſignari oportere, vt Eſaias precatur: Liga teſtimonium, obſigna legem tuam in diſcipulis meis.

III PILEVS

Addo

Addo & Pileum, vetus inſigne docentium, & hoc ritu te admoneo, oportere in Eccleſia Doctores, diſcipulos, & ſtudia eſſe. Etſi enim doctrina Eccleſiæ vnica eſt comprehenſa certis libris & quaſi literis certis, vt legi & relegi queat: tamen ſæpe dictum aut ſcriptum aliquod collatione ſcripturarum declarandum & illuſtrandum eſt. Et cum ſæpe prophani transforment verba ſcripturæ in prophanas ſententias, nouasq́; gignant opiniones, vocem fidelium interpretum Deus in miniſterio vult ſonare: vt propagetur vna & perpetua ſententia in Eccleſia & refutentur nouæ interpretationes, vt cùm Samoſatenus corrum-

peret dictum: In principio erat verbum, eo in loco perſonam & ὑπόστασιν ſignificare, & adfirmabant ſe hanc ſententiam ab apoſtolis accepiſſe. Non enim fruſtra inſtitutū eſt miniſterium docendi Euangelij, imò DEus ſeruat in aliquibus miniſtris eximiam lucem & donum interpretationis, quos gubernat Spiritu Sancto. Sint igitur teſtes aliqui fideles id eſt incorrupti doctores, ſint diſcipuli pij, ſint ſtudia, ut confirmentur in mentibus veræ ſententiæ: ſicut monet dictum Samſonis: Niſi mea vitula araſſetis, non inueniſſetis. Non dicam iam de modeſtia ſeruanda cùm in omni ſermone & geſtu tùm in veſtitu, de quibus etiam hæc ceremonia nos commonefacit. Le-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

uitatis enim & inconſtantiæ indicium eſt affectatio nouitatis in veſtitu:& honeſtus habitus ad augendam dignitatem & exiſtimationem conducit. De his & ſimilibus nos hic ritus impoſitionis pileorum in promotionibus & manuum in ordinatione miniſtrorum admonet, qui vterq; fortaſſe ortus eſt ex vetuſsima Eccleſiæ Jſraeliticæ conſuetudine, nimirùm, quòd, cùm Aaron ſummus pontifex & Doctor Eccleſiæ in populo renunciandus eſſet, Deus mandat capiti eius Tiaram & filijs ipſius mitras & victimis & ſacerdotibus conſecratis manus imponi. Significãt igitur hi ritus Doctoribus & miniſtris Euangelij excitatis & vocatis à

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

Deo benedici & eoſdem vi-
ctimas fieri, ſuſtinenda ipſis o-
dia, obtrectationes, ærumnas & ſup
plicia propter veritatis confeſsio-
nem. Crux enim eſt quæ terribili-
ter circumdat Eccleſiam ac præ-
cipuè Doctores & miniſtros E-
uangelij, vt inquit Filius Dei: Si
quis vult me ſequi, tollat crucem
ſuam, & me ſequatur. Hic eſt Dei
proceſſus, & hoc modo proceſsit De
us cum Moyſe ſtante in littore
maris rubri, & cū Daniele obſeſſo
leonibus &c Nemo ſibi promittat,
quod Euangelium non promittit,
inquit Auguſtinus: Non nobis
promittunt ſcripturæ noſtræ in
hoc ſeculo, niſi tribulationes,
preſſuras, anguſtias, augmenta do-
lorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

lorum, abundantiam tentationum: ad iſta nos præcipuè paremus, ne imparati deficiamus. Hæc quàm vera ſint, ſeniores experti ſunt, & aliqui non ſeniores: ſed tamen inter has tribulationes in hoc ipſo proceſſu Deus pios ſuſtentat & umbraculo filij ſui mirabiliter protegit & defendit, vt Chriſtus prædicit & promittit opem: Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, ſed capillus de capite veſtro non peribit.

ANNVLVS

Ingenuitatis ac fidei ac dignitatis vetus & illuſtre inſigne est annulus aureus: Quod ornamentũ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

etiam tibi tribuo, ut hoc tu̅ de retinenda puritate veræ ac ſinceræ de Deo doctrinæ, quam ſcriptura auro obryzo confert, tum de fidelitate in toto miniſterio Eccleſiæ, ſponſæ filij Dei tibi commmendatæ occaſionem ſæpius cogitandi tibi præberi videas, Atq; ſimul etiam te in eorum virorum ordinem euehi conſideres, qui præcipuè ſalutarem Eccleſiæ Reiq; publicæ operam nauant. Sic Liuio teſte apud Romanos annulus aureus equeſtrem ordinem à reliqua multitudine diſcernebat, nec cuiquam niſi equiti id inſigne gerere licebat.

COM-

V. COMPLEXVS ET OSCVLVM

Addo etiam Oſculū atq; Complexum: quibus admonemur de fœdere concordiæ, quod inter Profeſſores veræ doctrinæ & concionatores perpetuum eſſe in primis debet: Non ambitione, non maleuolentia, non odijs, non cupiditate vindictæ, non æmulatione, non leuibus cauſis turbemus concordiam: ſed memores ſimus precationis filij Dei: qui in vltimo agone, maximè ſolicitus de concordia, clamat ad Patrem: Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi, vt in Nobis ſint vnum. Itaq; cordi ſit nobis tetraſtichon

illud

illud aureum & illuſtre:

Sint vnum, doceant vnum, fateantur & vnum,
Qui bene de Chriſti nomine nomen habent,
Illorum nullis virtus animoſa periclis
Cedat, et heroa triſtia mente ferat.

Quod ſancto regi Daniæ Chriſtiano III tam carũ fuit, ſicut ſcribit Iohannes Flinnerus, vt eo mirificè ſit delectatus, & poſteriores (inquit) verſus centies mihi accinere dignatus eſt, ſi videbat me triſtiorẽ: priores obijciebat in omnibus Eccleſiaſticis, domeſticis, & aulicis negotijs, ſæpe decies vno die.

Ad quæ recitanda occaſione harum ceremoniarum, quæ in oculos incurrentes in promotionibus ſeruari ſolent, deueni: quæ non inſtar ludorum ſcenicorum aut Theatricorum habendæ ſunt, nec

duntaxat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

duntaxat ideo adiunguntur, vt hunc actum efficiant
ſpectabiliorem dignitatemq́ ordinis eorum qui hoc
gradu ornantur, & reuerentiam aſpectantium & au-
ſcultantium, erga eoſdem & miniſterium eorum auge-
ant: ſed potiſſimum, vt ſint vocationis eorum, argu-
menta & ſigna, vt ceremonijs hiſce conſpectis, tota
Eccleſia et Schola ſit certa de eorum vocatione, de mo
ribus de doctrinæ excellētia toti presbyterio probatâ,
& illi ipſi quibus hic gradus confertur ſubinde ha-
rum admonitionum ſint memores & in primis ſtudij
concordiæ in Deo. Non enim (vt Baſilius inquit)
tam opus eſt ſiniſtræ dexterâ, quàm Eccleſiæ con-
cordiâ. Itaq; vt pectus filij Dei ardet, petens Docto-
rum concordiam: ita nos quoq; accendamur amore
concordiæ, & cedentes vbi cedendum eſt, cohibea-
mus frenemusq́ impetus, qui ſemper temere moue-
nt diſcordias: quæ quanq̄; inicio paruæ ſunt, tamen
paulò poſt magnas excitant diſſipationes, & in-
flammati animi nouas excogitant & inuſitatas
in Theologia locutiones, & dogmata gloriam Dei læ-
dentia, & ſæpe faces ſunt maiorum motuum & tu-
multuum. Quare tueamur piam Eccleſiarum noſtra-
rum ὁμόνοιαν καὶ ὀρθοδοξίαν & foueamus commu-
nem conſociationem, & cū omnibus hominibus (quan-
tum quidem in nobis eſt) pacem colamus & pia
ἐπιεικείᾳ ac moderatione aliorum næuos & errata
ſanemus: vt vera Dei notitia inter homines con-
ſeruetur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

ſeruetur & eadem longè lateq́ ſpargatur. Qui duo præcipui fines & duo mandata ſumma ſunt, in docendo, in conſulendo, in totius vitæ gubernatione intuenda & obſeruanda: ſicut vota filij Dei adeo ardentia hiſce duabus de rebus nobis proponuntur, vt nulla ardentiora in cœlo aut terra unquam audita ſint, Et Apoſtolus dicit: cum omni humilitate, cum manſuetudine & longa patientia tolerate vos inuicem, in caritate, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Inq; Deo ſit mēs vna ſit vnus amor.

PRECATIO

Deniq;, cum ſine Deo nihil feliciter ſuccedat, & Deo non dante & iuuante nihil efficiat honor & labor, nullaq́ hominum ſtudia & miniſteria ſint proſpera & Eccleſiæ ſalutaria non gubernante Deo, qui benigniſsimus non tantùm mandauit ſeuerè, vt ipſum inuocemus, ſed etiam clementiſsimè promiſit ſe inuocantes certò exauditurum eſſe, toto pectore oro atq; obſecro DEVM fontem omnis ſapientiæ & felicitatis, vt propter filium vnigenitum Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM ſuo Spiritu ſancto te & nos omnes & ſingulos doceat, adiuuet, regat, & pios motus ad veram fidem, recta ſtudia, ſalutaria conſilia & actiones ipſi gratas in nobis accendat, nos clementer cuſtodiat, potenter ſeruet, benigniſsimè faciat vaſa miſericordiæ ipſum in omni æternitate ſumma lætitia ſummis laudibus celebratura.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

EPIGRAMMA
AD MAGNIFICVM Academiæ Roſtochienſis Rectorem, D. IOHANNEM FREDERVM,

virum Reuerendum & CL. collegam & amicum colendum.

ΕΙΡΗΝΑΙΟΣ ᾄδει πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων
Θεῖον ΙΩΑΝΝΗΝ ΧΡΥΣΟΣΤΟΜΟΝ
ἀρχιερῆα,
Τοῦ καὶ ἀπὸ στόματος καταλείβεται ὄψ μελίγηρυς.
Δεῦρ' ἴθι γοῦν νεότης, καὶ πόνον τόνδε γεραίρε,
Μακρόν τ' εὖ πράττειν λέγε ΕΙΡΗΝΑΙΩ ἀγαυῷ,
Οὐ μὴν δ' αὖ δηρὸν δώσει καὶ μείζον' ὁμοίως.

M. IOHANNES POSSELIVS.

AD EVNDEM.

IN Dominum pietas, ſcelerata in crimina Zelus,
Et regum nullis pectora fracta minis,
Intrepidæ, exilij ſpernax conſtantia mentis:
Præſtanti ingenio lingua diſerta comes.
Hæc ſi Theologo cuiquam fulſêre uetuſto:
CHRYSOSTMVS nulli iure ſecundus erit.
Hunc tua clara virum dum laudat, auuncule, PEITHO:
Laudat donantem lumina tanta Deum.

M. MARTINVS BRASCHIVS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]

EIDEM.

Qui bene de Templis ſtudet exoptatq́; mereri,
Ille ſubit grandis grande laboris opus.
Quinetiam videas meritis ante omnia claros,
Probra, dolos, rixas, exiliumq́; pati.
Quæ loquor, edoctus CHRYSOSTOMVS *atteſtatur,*
Aurea qui ſcripſit, mellea qui docuit.
Cuius Res celebris FREDERI *voce volabunt*
Doctorum dempto fine per ora virûm.
Ingenij ergo boni fuerit tibi dicere grateis
Munere pro tali, Vir Reuerende, pias.
Aßiduis votis quoq; ſollicitare tonantem,
Vt multos ſaluum te velit eſſe dies:
Quò poßis ſimili poſthac ratione Iuuentæ
Prodeſſe, & doctis edere multa libris.

M. Henricus Poſſe[illegible]
facie[illegible]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 106 [45,-20 8°]